

GEORGI GOTTLOB
RICHTERI,

ORDINIS MEDICI DECANI ET PROFESSORIS PRIMARI,
CONSILIARII AVLICI ET ARCHIATRI

INVITATIO

AD

DISPUTATIONEM INAUGURALEM
DOCTISSIMI MEDICINAE CANDIDATI

FRIDERICI GOTTLIEB MEIERI

GÖTTINGENSIS

DE

MALO HYSTERICO

DIE XXX. DEC. MDCCCXLI.

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

H. L. Q. C.


SOLEMNI RITV HABENDAM.

GOETTINGAE,

LITTERIS IOH. CHRIST. LVDOLPH. SCHVLTZII,
ACAD. TYPOGR.

De Mania erotica.





Mulieres hystericas, etiam insontes, perpetua fere feruentis Veneris premit suspicio. Quam etiam si iustam esse in multis largiar, mihi tamen maioris verecundiae muliebris quam lasciuiae fidei parit. Viri fortassis, quod stimulo eidem oblectentur minus, eius ad interiora redundantis iniurias minus sentiunt. Hinc PLATO (a), qui vterum ζῶον ἐπιθυμητικόν, partem, qua viri sumus, ζῶον ἐμψυχόν ἀπειδὴς καὶ αὐτοκρατῆς sapienter adpellauit. Non id moror, quod animal dixerit, ferri enim in omni parte animata & adpetente potest, quidquid id nominis est, sed quod notas mutui discriminis tam concinne suggerens timidum ibi adpetitum expresserit, hic imperiosum & omnis repaguli, quod pudor obiiciat, negligentem. Mirabilis ille morbus & immanis furor, qui PLYTARCHO (b) teste Milesias virgines occupauit, vt sibi gulam laqueo fregerint, non fuit, vt aliqui suspicati sunt, contagium ab aere diffusum, sed verosimiliter ipsum illud pudicitiae frenum cupiditatibus suis iniectum, vt perire maluerint, quam amorum illa incendia confiteri. Id comprobat adhibiti remedii successus, cum ad compescendum furorem illum senatus eas, quae sibi manum intulerant, nudas per forum trahi & efferrī iuberet. An enim furor ex alia causa hanc ignominiam metuisset? At metuit eadem verecundia, quam diffusorum per venas igniculorum suorum puduit. Simili mentis excessu in se ipsas saeuisse mulieres Lugdunenses, coeundi oestro percitas, IO. BRODAEVS (c), & puellas Crotonienses in puteos se praec-

praecipitasse, PETR. CRINITVS (a) testantur. Mania igitur illa erotica, de qua olim, si SVIDAE credimus, quatuordecim libros scripsit CADMVS MILESIYS, magis parcat viris, in quibus est, vt ex PLATONE adduximus, ζῶον ἀπειδὴς καὶ αὐτοκρατῆς, at feminas e contrario corripit multiplici furorum vterinorum, ὑσερομανίας, νυμφομανίας similibusque malorum nomine. Eadem non postrema causa est, cur fere nihil, quod hysterica symptomata referat, in viris deprehendas, qui stimulos omnes, antequam per spasmos neruorum dispergantur, salubrius quam verecundius plerumque excutiant. At disquisitum est diu, vbi tandem illud virus lateat, & qua virium suarum facultate rationem de sede sua deiiciat? Multi tanquam libidinis sedem accusarunt renes, quos in falaci femina supra modum magnos ROS. LENTILIYS (b), in alia ad aliquot librarum pondus ascendentes IO. SCVL-TETVS (c), imo quaternis aliis pares PHIL. SALMVTH (d) notarunt. At licet renes, dum incalescunt, iudice IO. RIOLANO (e) accendant omnino libidinem, & per flagra lumbis incussa torpidi ad Venerem exardescant, id tamen non alio nomine renibus tribuendum est, quam quod calore suo vel ingento vel per artem excitato spermaticas arterias in suis confiniis fitas expandant, & ad opus tum suscipiendae materiae feminalis, tum in vltimis, quo tendunt, ramusculis separandae reddant vegetiores. Ductis arteriis spermaticis saepe structura fauet. Bifidam in

(a) In Timaeo p. 496. sq. (b) de clar. mulier. it. A. Gellii noct. Attic. L. 15. c. 10. (c) L. 5. misc. C. 27.

(a) 3. de honest. discipl. c. 9. Hippocrates simile testatur; κελεύσειν ἀλλεῖσαι, καταπίπτειν εἰς τοὺς φρένας, καὶ ἀγχεῖσαι. Ait quoque M. F. LOCHNERVS Eph. Natur. Cur. C. 8. §. 3. se cum horore meminisse iuuenulam, quae se puteis profundissimis immerferint ad flammillas illas infelices extinguendas. (b) Eph. Nat. Cur. C. I. & II. p. 344. (c) ap. Bonet. in L. 3. sepulchr. Anat. S. 34. (d) Obs. med. 23. C. I. (e) anthropol. L. 2. C. 26.

in lasciuia CASP. THEOPH. BIERLINGIUS (a), duplicem ex vtraque parte IO. RVD. SALTZMANNVS (b), quadruplicem sine vena TH. KERCKRINGIUS (c), vnam sed binis vulgaribus decuplo maiorem TH. BONETVS (d) notant. Mirum non est, cum vberiori seminalis materiae prouentum maiorem quoque in his salacitatem obseruatam fuisse. Cui si accedit non abundantia solum secreti, sed & acrimonia, qualem in scorbuticorum Venere multi admirantur, alii a victu stimulante & condimentis natam describunt, crescunt sine dubio prurientes stimuli. Licet vero semen feminarum improprie hoc nomine veniat, recentiores tamen cum veteribus agnoscunt, liquidum illud in prostaticis & glandulis vaginalibus coaturiens plurimum exaestuanti libidini seruire. Obscura titillatio turgescentis huius liquidi mire intendit voluptatis sensum, eo vel vltro vel ad frictum Venereum effuso languet Venus, renouato nouis viribus resurgit. Hic focus est, inquit MICH. BERNH. VALENTINI (e) ad IO. DAN. WIDTIUM, in quo muliebris morbona tragoedias suas vnice ludit. Tentigo ex hoc fonte, clitoridis insania, insomnia Venerea, pollutiones nocturnae nascuntur. Negandum autem non est, vitium interdum in ipsis ouariis haerere, quae non modo magna sed & ouulis turgidissimis plena in salacissimis & ipso furore vterino extinctis reperta esse legimus (f). Vidit MICH. FRID. LOCHNERVS (g) in quibus ouaria turgida rupturam visa sunt minari, & ouula per orgasmum Venereum in tantum distenta fuerunt, vt pilorum magnitudinem aequa-

(a) Misc. Nat. Cur. D. 1. A. 2. O. 208. (b) in obseru. Anat. a Theod. Wynants editis. (c) Spec. Anat. O. 32. (d) Sepulch. An. L. 3. S. 34. (e) Misc. nat. Cur. D. II. A. 2. App. (f) v. 1. M. HOFFMANNI disquis. C. H. Anat. Path. S. 9. §. 4. (g) Eph. N. C. C. 8. O. 3.

quarent. IOS. LANZONVS (a) in alia, quae lasciuia & febrili insania occubuit, nil nisi inflammatum vterum fuisse ex medici Mantuani fide testatur. Igitur non minor est pruritus Venerei causa, quae ex stimulo turgescentium ouulorum & aliarum quoque partium oritur. Reperta interdum est inter vasa sua seminalis materia in gypseam duritiem concretata (b). Copia certe adfluentis sine consumptione & per moram corruptio stimulos tandem illos voluptatum in furores conuertit. Notant omnia, per ambitum partium generationi destinatarum serpentes arteriae spermaticae neruorumque propagines producere stimulos illos & exaltare, quoties cum magna spirituum vbertate turgescunt intra cancellos suos, vt vix continere queant, dicta liquida. Inde cerebrum, extra cuius limites sensus non est, a blandius tendente stimulo ad sensum voluptatis, ab acriori & infestiori ad eundem cum ferocia iunctum inducitur, vt multae lasciuia loquantur, cogitent, peccant, corpus nudent, & cum filiabus PAETI bacchantes obtuui sese procaciter & obtutu feroci gestuque parum composito offerant. Quomagus in aliis admirandum est naturalis vterinae vinculum, quod contra ipsum furorem praeualet, & diutino moerore lentaque tabe taciturnas conficit, vel ad mortem vltro potius obeundam quam turpia admittenda compellit. Minime vero illum terrorem matricis, vt veteres adpellabant, tam facile nasci existimamus, quasi in spem obscuram potiundi remedii suis natura stimulis cruciet. Vel si nascitur, suppetere puto sobriae & exercitatae vitae auxilia, quae ad naturae fundum nondum excolendum adluciat nihil intempestiue. Omnium minime arguendas statim mulieres esse puto, quod ignes illos in sinu suo gestent, quoties ex causa non protinus deprehensa laborant. Vti olim a MARONE adpersas DIDONI maculas eluit AVRELIUS AVGVSTINVS, MEDE-

(a) Misc. N. C. D. 3. A. 5. c. 124. (b) Bonet. sepulchr. L. 3. f. 33.
) (3

AM vero & HELENAM tanquam puras & incorruptas matronas BALTHASAR BONIFACIUS defendit; ita medici eas, quae dubio morbo laborant, non modo sinistro illo vacillantis pudoris iudicio haud premant, sed & fontes illudenti aliorum censuræ subducant. Id quod sæpe neglectum effecit, ut hystericae aniculas potius quam medicos, famæ suae metuentes consulant, licet interdum sæuissima symptomata exitium minari videantur, & mirabiles illi spasmi miseræ fere suffocent, tum focum caloris naturalis extinguendo, tum stringendo guttur, quem utrumque suffocationis sensum versiculus vetus in catholico IOANNIS GENVEENSIS exprimit:

Suffocat, exstinguit: suffocat guttura stringit.

At de malo illo sigillatim agit disputatio solemniss, ad quam inuitaturus hæc præmisi, dignissimi medicinae Candidati, cuius vitam ac studia more Academico paucis adhuc percensebo,

FRIDERICI GOTTLIEB MEIERI.

Natus is est Gottingæ die II. Octobris anno seculi huius decimo sexto. Parentem habuit Virum prænobilissimum & consultissimum, qui inter primos de patrio Gymnasio bene olim meruit, IOACHIMVM MEIERVM, I. V. Doctorem & historiarum Professore, matrem SOPHIAM HEDWIG ex stirpe patricia HELMOLDIANA, cui decori fuit, prognatam. Ab his parentibus, quorum iam cineres noster veneratur, præsidii nihil prætermisissum est, quod teneram ætatem fulciret, exornaret, & iis disciplinis, quæ ad maiores præpararent, imbueret. Anno seculi huius octavo Quackeburgum, urbem Westphaliæ missus & Scholæ eius Rectori, cognato suo, BECKERO in disciplinam traditus est. Inuitus noster nec sine præensione animi lares paternos reliquit, percussus paulo post tristi nuntio optimi parentis apoplexia correpti. Substitit tamen in vrbe illa per biennium non sine vario ingenii fructu; rediit deinde viuentem quidem spirantemque ad huc

huc reperit parentem, at graui linguæ paralyfi adfectum, imo breui, nimirum A. R. S. c1010ccxxxii, cum annum ætatis ageret septuagelimum secundum, noua apoplexiæ accessione oppressum. Ex illo tempore sub ductu celeberrimum Gymnasia patrii doctorum, STILLENII, WAERNERI, STEMPELII, LEONHARDI & imprimis summe Reuerendi HEVMANNI nostri profectus est studia sua, qua decet, animi contentione. Mox nata & in eximium decus surgente Regiis impensis Georgia Augusta cum primis ciuibus noster die II. Nov. A. c1010ccxxxiv. nomen dedit illustri Viro, G. C. GEBAVERO, Consiliario aulico & Antecessori iuris primario, tunc summum in noua litteraria ciuitate magistratum gerenti. Medicinam, cuius sibi culturam delegit, haud rudi manu attingit, sed philologica prius & philosophica sub celeberrimorum virorum auspiciis, & illa quidem duce IO. MATTHIA GESNERO, hæc præeuntibus G. S. TREVERO, S. C. HOLLMANNO & L. M. KAHLO percoluit, mox etiam ad scholas physicas mathematicas & chemicas honoratissimi Collegæ, I. A. SEGNERI accessit. In Anatomicis iam virum audiuerat animi viribus quam corporis præstantiorem, I. W. ALBRECHTVM, qui in primo exercitationum Academicarum cursu præmature extinctus est. Cuius vactesactam prouinciam ut magno rei Anatomicæ comodo occupauit Vir illustris, A. HALLERVS, archiater Regius, ita noster eo præceptore per Anatomiae non minus quam Chirurgiæ & Botanices amplæ spatia pluribus annis vsus est. Excellentissimum Virum, I. G. BRENDELIVM in physiologia, methodo medendi, Chemia, praxi medica & Medicina forensi cum fructu audiuit, eiusque exercitiis disputatoriis sedulo interfuit. Mihi denique nunc praxin, nunc materiam medicam, nunc diaeticam docenti, nunc in casibus medicis elaborandis & sub censuram vocandis occupato, nunc auditores domesticis disputationibus exercenti per triennium se indefessum præbuit auditorem. Inter hæc accidit, ut & alterum paternæ domus columen

men caderet, & amantissima mater ad coelites vocaretur. Quae clades quemadmodum vehementer nostrum adflixit ac rem domesticam attriuit, ita tamen solatium hoc, quod finitis fere studiis academicis nouas ingredi prouidentiae diuinae vias fideli cultae artis exercitio liceret, merito eum erexit. Quo scopo vt tandem potiretur, petiit a nobis tum aditum ad examina nostra tum ipsos honores medicos. Illis postquam satisfecit, ad hos etiam viam ipsi strauimus. Restat, vt ex more academico publicam prius palaestram ingrediatur. Cras igitur, qui dies trigessimus huius mensis est, solemnem disputationem *de malo hysterico* me praefide defendet praemissâ cursoria, quam vocant, lectione *de officio medici*. Obseruauerunt rogamus & enixe, vt MAGNIFICVS PRORECTOR, ILLVSTRISSIMVS R. I. COMES, GRAVISSIMI SENATVS VTRIVSQUE PROCERES, ERVDITI HOSPITES OMNIVM ORDINVM HONORATISSIMI, ET INPRIMIS CIVES ACADEMIAE GENEROSISSIMI ET NOBILISSIMI condecorare sua praesentia hunc Actum velint, P.P. in Georgia Augusta die XXIX. Dec. A. R. S. clbIcccxli.

